



B. 209.



SOLEMNIA

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

DIE XVII. OCTOBRIS MDCCCXCVIII.

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POE-  
TICAE CANDIDATIS

INDIXIT

AVGVSTVS FRIDERICVS GVILIELMVS  
RVDOLPH

PHILOS. DOCT. ET LL. AA. MAG. FACVLT. PHILOSOPHORVM ADIVNCTVS  
ORDINARIVS, ET ACADEMIAE BIBLIOTHECARIVS, H. T. ORDINIS PHILOS.  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI DECANVS, ET COMES PALATINVS  
CAESAREVS.

---

NONNVLLA PRAEFATVS  
DE PHILOGIA PHILOSOPHO NECESSARIA.

---

VITEBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

ANNA

IN

DE

PHILOSOPHIAE ET MATHEMATICAERUM

PROFESSORIS

INDEX

AD

ANNO

MDCCCXXXIII

IN

LIBRARIIS

CAESARIIS

DE

LIBRIS



—•—•—•—•—•—•—•—•—•—

**Q**uem studiorum et laboris successum omnes, qui cogitationes suas litteris mandant, exoptare sibi solent, et debent, ut legantur, atque ita aut in suas partes trahant alios, aut, si hoc fieri non possit, certe vel ad iudicandum, vel ad dicendum, vel ad viuendum aliis aliquid adiumenti asserant, eius consequendi spes tam exigua affulsit mihi, de *arctissimo inter philosophiam et philologiam nexu*<sup>1)</sup> disputaturo, ut parum abesset, quin consilium, hanc rem, oblata hac scribendi opportunitate, curatius exponendi, plane abiicerem. Apud me quidem haec caussa tantum habet commendationis, ut optauerim, aut me eum esse, qui digne eam agere, et probabili oratione explicare possim, aut alium existere, qui eandem feliciter tractandam suscipiat; nam, si quis ingenii acumine singulari ornatus, linguarum cognitione accurata instructus, et meritorum fama illustris, eandem rem explicare et demonstrare conetur: non dubito, quin sit sententiae suae fautores nactus quam plurimos. Non hoc dico, philologiae studium, praestantissimum quidem et ad omne eruditionis genus necessarium, nunc tamen a multis, in primis a Studiosis relictum, nostrae aetate optime ita commendari posse, si doceatur, quam arcto id vinculo cum philosophia copulatum sit et contineatur. Ea enim est nostrae aetatis<sup>2)</sup> conditio, ut historiae, linguarum, aliarumque disciplina-


A 2

1) PETR. AHLWARDT scripsit diss. de nexu philologiae cum philosophia, Gryphisw. 1767. 4. in qua docere conatus est, quam utilitatem philologus e philologiae studio percipere possit ac debeat; ego vero docere studui, quid philologiae studium ad philosophiam conferat.

2) Sed non nostrae solius. b. HIL-  
 LERSY in oratione Mss. quam paullo

ante obitum suum elaborauit, haec testatus est: „Cum primum Vitebergam anno huius seculi XXXV. salutauit, hic quoque fuit philosophia LeibnitioWolfiana dominata; asseclae enim quam plurimos ei conciliarat flumen BAVMEISTERI dicendi mirificum, humanitatisque iuncta studia politioris. Sed breui post, commendante BERGERO, Gorlicium discessit,

vbi



plinarum studia fere frigeant, philosophiae studio multi fere vni-  
 ce trahantur, siue quia verum philosophiae pretium ita eos cepit, vt  
 quod magno deberent, id omni soleant agere studio; siue quia nimia  
 promittat philosophia, eamque lucem se allaturam esse cultoribus pol-  
 liceatur, vt qui bonus sit philosophus, reliqua omnia aut calleat opti-  
 me, aut non desideret; siue quia multo iucundius atque commodius  
 esse deprehenditur, omnia secum portantem e notionibus suis philo-  
 sophari, quam voluminum multorum mole circumdatum aliorum  
 cogitata in dictis eorum contemplari; seu denique, quia honorificen-  
 tius esse videtur suam cogitandi formam et rationem aliis imprimere,  
 quam in aliorum habitum sese induere. Quum igitur, si qua alia,  
 certe philosophiae studia nunc maxime vigeant, callidus aliquis philo-  
 logiae commendator ita eam laudare posset, vt quantum ad philoso-  
 phiam ea conferat, eleganti oratione demonstraret. Ego vero, ab hac  
 calliditate alienissimus, hoc nunc non dico, nec vrgeo, nec eum in  
 finem haec disputo; neque enim statim ab initio dissertationis tan-  
 quam miser quidam grammaticus apparere volui, qui quisquiliis suis  
 nescio quam grauitatem tribuens, artium suarum minutarum fautores  
 circulatoria ratione conquirit. Gratularer mihi potius, si quis philo-  
 sophorum, lecta hac scriptione, aliquid se arbitretur adeptum, quod  
 in suum vsum conuertere possit; atque iis potissimum, qui philoso-  
 phiae cultores nesciant, quantam cautionem hoc studium habeat, ali-  
 quid adiumenti adferre, iisque indicare volui, quomodo ea in re,  
 quam toto animo amplectuntur, non commodius possint et facilius,  
 sed rectius atque vtilius versari. Atque hoc tali commentationis ge-  
 nere effici posse, non ab omni ratione abhorret. Ex quo enim tan-  
 tum extitit summorum virorum acumen, vt intelligeretur, quae de lin-  
 gua et oratione disputantur, ad logicam rationem, in qua non dicen-  
 di,


vbi Gymnasium regeret, cuius vacuum  
 locum mox SCHVBERTVS occupauit,  
 campumque latius ad ipsam Theolo-  
 giam extendit. Sic hac in sede, vt  
 alibi, seculum vixit philosophicum,  
 tanta contentione, vt literarum decus

in discrimen vocaretur: nam si BAV-  
 MEISTERVM audierant trecenti, tres  
 vel quatuor BERGERO se dederunt.<sup>s</sup>  
 Ita aetate igitur multo maior fuit alia-  
 ram disciplinarum contentus, quam  
 nostra.



di, sed cogitandi praecepta tradenda sint, non pertinere; ex eo inde tempore hae quaestiones non solum e logica eiectae, quod ferri potest, et fortasse laudandum est, sed etiam, quod ferri nullo modo debet, a cognitione hominum studiosorum remotae sunt, locumque fecerunt erroribus, in quibus refutandis ante duo annorum millia doctorum sese exercuerunt ingenia. Iltas igitur quaestiones qui postliminio reuocare, atque vno et altero augere praecepto studeam, non sine omni vtilitate, dummodo legar, disputaturum me esse confido. His tamen non obstantibus vereor, vt dixi, ne pauci lecturi sint. Quibus enim tum omnino de philologiae praestantia, tum de eius in philosophia vsu persuasum est, ii, ne legere cogantur, quae melius daturi fuissent ipsi, a lectione huius opellae abstinebunt; ii vero, qui, suo philosophandi studio vnice delectati, reliqua contemnunt, aures non praebebunt amicae admonitioni; ac praeterea non dubito, fore multos, qui nisi publice, certe priuatim, aut *ἐν ἡδέσσει* meam pro sua humanitate doleant, aut stultitiam castigent, aut etiam absurditatem rideant, quum iam a priori intelligi possit, quam vana haec sit et quam arrogans hominis philologi sententia, qui, quum a philosopho discere debeat, quo modo in sua arte recte possit versari, eos tamen spiritus concipiat, vt etiam philosopho se putet vtilitatem allaturum; quin etiam, qui philosophus in summarum rerum contemplatione et inuestigatione totus esse soleat; qui rationis humanae limites, temeritatis vetustate obrutos, eruere, et quae his sint comprehensa limitibus, tanquam solers geometra, describere debeat, qui studeat explicare, qua in re humanae naturae praestantia sita, quibus rebus opus ipsi sit quam maxime; qui (vt cum *SENECA* loquar) *ingenia sanare, fidem in rebus humanis retinere et officiorum memoriam animis ingerere velit*: eum querentur a me, quantum in me sit, in Grammaticorum includi latebras; atque aut contemnent me, aut reprehendent, adeo me coecutire, vt nec ad ferendum hoc malum, adhuc necessarium, solatia, nec ad tollendum, consilia asseram, sed quem libere notionum vnitatem sectari deceat, eum verborum varietate studeam impedire. Qui tali modo fortasse contra me disputent, eos, nisi omnem dissertationem in exordio absolueri maluissim, placare hic non potui, sed rogavi





tantum, vt dissertationem meam ea animi aequitate et tranquillitate, quae cum summorum philosophorum gravitate et dignitate coniuncta esse solet, legant, eaque lecta et examinata, aut in rectam viam reducant errantem, aut recta via incedentem salutaribus instruant consiliis. Eorum autem veniam impetrare volui debuique, qui miram barbarorum vocabulorum conglutinationem pro sua elegantia non sint latu-ri, et vero impetrabo; reputabunt enim, hanc rem alia ratione pertractari non potuisse. Eos denique, quibus fortasse nimia videbitur subtilitas, rogavi, vt, quum argutiae non possint tolli sine subtilitate, nihil in argutiarum habeant numero, quod ad tollendas argutias sit comparatum.

Dissertatio autem mea non eo pertinet, vt doceam, studium linguarum vtile esse philosophis; superuacuum hoc foret; nemo enim, nisi forte qui a philosophia pariter atque a philologia remotus est, hoc negabit; sed cum esse volo vsum, quo philosophia carere non possit, et eum *nexum, vt philologiae cognitio philosopho recte dicatur necessaria*; non quia sine cognitione linguarum, et earum quidem diuersarum, nemo possit de rebus philosophicis dicere et scribere (ab hac sententia tam longe absom, vt potius arbitrer, quo quis sit ab hoc studio remotior, eo confidentius eum de rebus philosophicis esse pronunciatum; eoque facilius prolaturum, quae noui speciem sint habitura;) sed quod nemo de philosophia *bene mereri*; nemo omnem philosophiae rationem perspicere possit, qui ista cognitione destituatur. Durior haec videtur et inepta sententia, attamen non possum quin adiciam, quae multo magis inepta videbuntur, philosophum philologica cognitione non imbutum, in nullo fere negotio suo ita, vt oprandum esset, posse versari. Quamuis enim sine ista cognitione bene videre potest, quid e notionibus constitutis consequatur, et quid ratione consentanea et conuenienter statuatur: notionem tamen ipsas non potest recte constituere, quumque omnis philosophi opera (si ab obseruationibus recesseris) in constituendis notionibus, et decretis inde deriuandis cernatur: fieri non potest, quin alterum imperite tractans, in altero infeliciter versetur.

Quac-






Quaerent hic a me, quam tandem philosophiam et quam philologiam intelligam, quarum altera tantum usum recipiat, altera tantam utilitatem adferat. Meum non est, allatis variis philosophiae definitionibus disputare, quae earum optima sit, et, quid sit philosophia, verissime declarauerit; et si vel maxime meum esset, non tamen possem; nam afferre varias explicationes non possum, quia libelli paruitas tantam molem non capit, quae autem *verissima* sit philosophiae definitio quaerere non possum, quia non satis intelligo, quid sibi velit *verissima* siue notio siue definitio philosophiae *omnino*. Sufficit hic declarasse, eam notionem me esse secutum, quae nostrae aetati, et vsui nunc introducto, accommodatissima est, quae scilicet mathematicam, et historicam, cum WOLFIO, et vulgarem cognitionem, cum recentissimis philosophis, a philosophica cognitione separans, philosophiae id reliquit, quod in notionibus solis versatur, e notionibus et principiis vt vocant, deducitur; non obseruatione, sed argumentatione nititur.<sup>3)</sup> Philologiae autem vocabulum, quod varias etiam subitiu significationis mutationes, nunc itidem a me adhibetur, vt cum recentiorum vsu in diariis litterariis consentiam, in quibus ad philologiam referuntur omnia, quae aut ad veteres linguas cognoscendas pertinent, aut recentiores linguas tanquam linguas spectant. Hic tamen monendum est, non de eo me dicere philologo, qui in genere vocabulorum grammatico inuestigando, in lectionis varietate colligenda et diiudicanda, in disputationibus, vtrum aliquo in loco *et* an *atque* legendum sit, et quoties *de* atque *de* in codicibus confusum fuerit, multisque aliis eiusmodi rebus, *vnice* occupatur, altiora et vtiliora non attingit; non quod haec studia, quae valde me delectant, in quibus

vereor,

3) Qui philosophiam empiricam hic a me neglectam videant, eos velim reputare, sumta ea definitione, quam recentissimi amplectantur, empiricam scientiam vix posse ad philosophiam referri. cf. Praecell. KRUG, *de pace inter philosophos vtrum speranda*

*et optanda*, p. 26 sqq. Eiusd. *Abhandlung über den Begriff und die Theile der Philosophie*, pg. 81 sqq. Equidem his concertationibus me immiscere nolui; indicaui tantum, de empirica philosophia in hac descriptione sermonem non esse.



vereor, ne nimius esse et fuisse dicar, contemnam, aut in crisi ista non singularem quandam ingenii solertiam et virorum doctorum acumen cernam, sed quia linguarum antiquarum studiosus, vt sine his esse non potest, ita in iis non debet acquiescere. In eo potius debet elaborare, vt in multorum hominum, variorumque populorum cogitandi et sentiendi rationem se insinuet; vt, quamuis non semper possit, quemadmodum Homericus ille Vlysses, multorum hominum vrbes inspicere, (quod diuitiarum potius est et fortunae): tamen, id quod studio et industria et recta interpretatione effici potest, illud *ναὶ νόον ἐγγύω* quodam iure suo sibi possit vindicare.

Quod igitur hac dissertatione efficere studui, ita breuiter comprehendere potest: linguarum et earum quidem plurium cognitionem philosopho, qui in notionibus constituendis et explicandis versatur, et quid inde consequatur, exponit, maxime esse necessarium; non vt in hoc studio *uno* omnem aetatem consumat, non quod ab hoc *uno* omnia repetere possit, quibus philosophi praestantia absoluatur, sed vt ad philosophandi studium, nisi accurata linguarum cognitione imbutus, non debeat accedere, et quod, licet, sine ista, philosophorum decreta *discere* possit, tamen non possit ipse philosophari. Atque philologiae studium ita philosopho necessarium dico, non solum, quia aditus ipsi aperitur ad legendos philosophos alio idiomate vsos, (quia *mediate* prodest); sed etiam primo, quia animus eius optime praeparatur ad philosophandi negotium; deinde, quia notionum conformatio ipsa et ratio a lingua eiusque conformatione maxima ex parte pendet. (quia *immediate* prodest.)

Viam hic indicatam percurrere nolo longus esse in eo vsu exponendo, qui non proxime e linguarum studio ipso, sed e lectione philosophorum a theotisca lingua alienorum percipitur. Pauca adiciam, quibus effici posse mihi videtur, philosophos istos legendos esse, et in eadem esse lingua legendos, quam in philosophando adhibuerunt. Et eos quidem philosophos, qui Francogallice aut Anglice scripserunt, legendos esse, neminem repertum iri confido, qui negare suslineat. Sed qui Graece et Latine philosophati sunt, eos de manibus seponendos esse censent fortasse aliqui, et nisi forte censeant, suo tamen alios,

vt


vt seponant, exemplo hortantur. Ego vero fortasse erro, sed eos, licet inferiores nostris ipse putem, et sacpissime lapsos videam, tamen aequae legendos cenſeo ac recentissimos, non tantum ad *historiam* philosophiae et opinionum cognoscendam, (quae vnica apud multos videtur horum auctorum commendatio); sed etiam, vt nostram veri rectique cognitionem augeamus.

Historia autem addiscenda cum multas alias ob-causas, (vid. BRUCKERI Hist. crit. Philos. T. I. p. 21 - 30.) tum in primis, vt e medio tollatur immodestia ista et arrogancia, quam posteri aut ridebunt, aut miseratione prosequuntur, quae nostram aetatem non sapere, sed *solam* sapere existimat. Qui enim recentissimis philosophis, et iis quidem interdum haud adeo modestis, vnice operam impendunt, ii facile adducuntur, vt omnia antiqua contemnant, atque sententiarum et disciplinarum veritatem et praestantiam tandem non ratione sed nouitate metiantur. Hi, si non ex aliorum sermonibus, sed vsu suo et lectione didicerint, olim quoque extitisse ingenia egregia; multa, quae nunc tanquam summa proferuntur, eorum scriptis iam contineri, ex iisque repetita esse, quamuis fons, vnde petita sint, lateat; si, vt videant, quam sit curta ipsorum supellex, non tantum secum habitare, sed aliorum etiam thesauros contemplari velint: contraherent sane magnos istos animos, nec tanto supercilio veteres, quorum in humeris se positos lepidi arbitrantur, despicerent. Qui obicere mihi velit, non curandum esse, vnde petatum sit id, quod prodest, sed eo esse vtendum, ei facilem et felicem hanc ignorantiam lubens concedam, dummodo mihi concedat, iudicium de nostrae philosophiae praestantia iis esse relinquendum, qui vetera non minus quam recentiora attentione sua censuerint digna, eaque *longo usu* plane perspexerint.

Quae quum ita sint, taceo, quanto sit ornamento dogmatum historia; taceo multa nobis antiquos philosophos legentibus innotescere, quae vitanda sunt; ne hoc quidem, quod latissime patet, late persequar, quod multa scitu necessaria et factu vtilia e veterum scriptis peti possunt, haud ea quidem noua, quippe dicta ante multa secula, sed ea tamen, quae nunc ignorentur, et nescio quo pacto et fato

B

obli.



obliterata videantur. Pauca tamen adiicienda, nequis forte arbitretur, haec a me dicta esse, quia *sperem*, fore, ut recte se habeant. Plato igitur in Republica passim grauius monet, qui res publicas constituent, et ad rem publicam pertinentia instituant, eos minime ab eo debere proficisci, quod *singuli* homines sibi expetant, et quod singuli, dato ipsis eligendi arbitrio, sibi eligent. Hac enim tractandi methodo omnem de republica quaestionem cum ipsa republica turbatum iri. Sed quid toti et vniuersitati conducat primo esse videndum, quo facto ad singulos esse descendendum, ita ut, quae cum reipublicae totius salute coniuncta sint, ea singulis aut officia praecipiantur, aut commoda tribuantur; hominum vero singulorum salutem et felicitatem a salute et felicitate reipublicae non fore seiuinctam, immo vero hoc vno modo esse consequendam. Haec ratio, quae simulac innotuit nobis statim assensum extorquet, nunc in educandi praecipitis tradendis fere negligitur. Plato, sibi constans, decreuit, nemini eorum, qui in sua republica viuunt, licere *πολυπραγματεῖν*, quemque potius suum debere agere negotium, eum tenere locum, in eo inanere praesidio, in quo fuerit collocatus. Quantum hoc valeat ad mutua officia, ad tuendam hominum societatem, ad conseruandam vitae communitatem, is facile intelliget, qui historiam perlustrare, et quam vim habere tale institutum possit, animo et cogitatione percurrere velit; quam necessarium autem sit eiusmodi societatis humanae vinculum, eum non fugiet, qui, quanta sit vis caussarum homines segregantium, reputauerit. Quum enim iracundia, inuidia, habendi cupidine, maledicendi libidine, laceessendi pruritu, animo ad offensionem prono, loquacitate, dominandi voluntate, atque omnibus fere cupiditatibus et vitiis hominum coniunctio distrahatur; quumque arctissimo et tenacissimo vinculo, quod aliorum ope et auxilio carere non possunt, homines in ciuitate contineantur: facile apparet, hoc vinculum tanto magis laxari et debilitari, quo propius singuli homines eo adducantur, ut soli sibi sufficiant, et toti ex se sint apti. Haec talia autem parum nunc curantur; quare etiam pueros ita instituunt, quasi olim, tanquam Robinsonus, in desertis insulis sint vitam acturi, et ad commendanda instituta, alioquin fortasse laudabilia, iis vtuntur argu-

men-



mentis, quae ad reiicienda ea valere deberent quam maxime, 4) ita versantes, vt illud HOMERI huc pertineat:

Πόλλ' ἤπισατο ἔργα, κακῶς δ' ἤπισατο πάντα.

Aliud adiciam de methodo. Quae enim praeclarior, quae cauto philosopho accommodatior, ea Aristotelis methodo, qui in constituendis et definiendis notionibus varias solet vocularum significatio- nes circumspicere, vt, cognitis his atque distinctis, non solum habeat, cui fundamento dissertationem suam de rebus sub adspcetum non cadentibus superstruat, sed etiam vt sibi aliisque ab ambiguitate ca- veat; quae quidem methodus sine dubio vitio eorum, qui in fine superioris et initio huius seculi ea abutebantur, et in vocabulorum synonymia et homonymia fere diutius haerebant, quam in rerum tractatione versabantur, nunc adeo euauit, vt alii pro suo arbitrio vocularum significatus definiant, tyrannidem in linguam exerceant, at- que ita etsi non nouas res, noua tamen dicta et paradoxa proferant; alii vero rectam rationem tenentes, et vt cum aliis consentiant elabo- rantes, excusatione etiam vtantur, quod recte versentur, et dissertatio- nem, de re futuram, a vocabulo explorando insituant. — Quodsi

B 2

autem

4) Velut ad commendandum scho- larum genus, quod ab industria (πο- λυπραγμοσύνη) nomen habet, vir qui- dam reuerendus in libro: *Carls va- zerländische Reisen*, pp. 562 sqq. haec posuit: *der grössere Theil der Bauer- frauen ist nicht im Stande ein Tuch zu säumen, ein Hemde zu machen, oder ein Mütze zu verfertigen, sie müssen zur Nähterin schicken, und das ebener bezahlen, was sie doch selbst hätten ler- nen können. Brauchte man ferner auch noch Dorfschneider, wenn in solchen Industriefibulen die weibliche Jugend zur Verfertigung männlicher und weib- licher Kleidungsstücke für Landleute an-*

*gewiesen würde?* Sed quid tum istae sartrices, quae non corporis viribus valent, sed qualicunque operis ele- gantia? Cur eiiciamus e vicis sartor- res et sartrices? Cur locum in ciui- tate homini inuideamus? Optima ea mihi videtur mulier rustica, quae rei agrariae et pecuariae et culinae et educationis perita, suum negotium agendo, tantum sibi parat, vt opera, ad quae propter manuum et digito- rum rigorem et duritiem minus solet esse idonea, ab aliis possit redimere. Neque vero hoc volo, arcendam esse, quae cupiat discere; sed quae nolit, eam arbitror non esse cogendam.



autem vel nihil aliud commodi veterum philosophorum lectio adferret, vnum hoc sat est et sane permagnum, quod decreta et consilia, nunc probata et commendata, multum commendationis accipiunt, quum intelligimus, hominibus, et temporis et studiorum et religionis et ciuitatis et linguae conditione mirum quantum a nobis seiunctis, idem bonum visum esse verum atque laudabile, quod nobis ita videtur; quum intelligimus, decreta aetatem quasi tulisse, et temporis longinquitate, quae opiniones prauas, vanas et noxias aperire solet et removere, nec debilitata esse nec sublata. Quemadmodum enim vera sententia, et laudabile institutum temporis longinquitate obrui potest, et ex animis hominum tolli, ita non videtur manere posse falsa sententia et noxia; et vt nihil contra praeslantiam consilii et decreti efficiatur, quum id aliquando obliuioni traditum deprehendamus, ita quod semper viguit probatumque est, aut ex multis magnisque rerum conuersionibus et vndis saluum et incolume emerit, viro graui et prudenti debet quam maxime esse commendatum. Quin etiam, quod **QUINCTILIANVS** (de Inst. Orat. X, 1. §. 34.) de exemplis monuit ab oratore e vetustate repetendis, *ea esse hoc potentiora, quod ea sola criminibus odii et gratiae vacent*, id de praeceptis, in rei publicae constitutione et administratione atque in vitae vsu sequendis, eodem iure potest affirmari. Atque omnino prudentium esse videtur, qui in veterum et maiorum suorum humeris, sine malo omine, collocatos se esse arbitrantur, aliquando ex humeris in solum descendere, et quale sit illud considerare; ne forte, quando aut solum, in quo maiores pedem fixerint, minus firmum, aut ii, quorum humeris sustineamur, minus robusti sint, tota ista circulatoria pyramis cum fundamento suo ingenti casu corruat; ne maioribus insultantes et nostram sublimitatem iactantes, leui eorum facta conuersione, ipsi ἐπὶ κεφαλὴν decidamus. Variarum linguarum studium igitur vel propterea philosopho commendandum est, quia aditum illi aperit ad magnorum ingeniorum cognitionem et familiaritatem. Nemo hic monebit, haec ad linguas addiscendas nos non posse adducere, quia ista commoda versionum lectione maturius et facilius possimus consequi. Nam concedo, poetam ita verti posse, vt vel maior e versione capiatur delectatio, quam

quam ex ipso; concedo ex historicorum versionibus optimis historiam quodammodo posse cognosci; sed e philosophorum versionibus eorum disci posse et intelligi philosophiam, id nunquam mihi persuadebitur, nisi forte falsum hoc est, quod a praeclaris ingeniis adfirmatum esse video,<sup>5)</sup> a me vero hac dissertazione, nisi fallor, effectum est, pro linguarum diuersitate philosophiam esse diuersam, et adeo diuersam, vt in aliam linguam translata, tanquam alieno habitu induta, vix possit agnosci.

Sed ipsum quoque linguarum studium *per se* et *proxime* gravissima philosopho adfert adiumenta; nam non solum optime animum eius format, et ad philosophandi solertiam praeparat, sed id ipsum quoque, quod philosophi cognoscimus et scire cupimus, adiuuat; seu, vt barbare, sed fortasse magis perspicue dicam: vsus eius immediatus *formalis* est et *materialis*.

Ad prius quod attinet, philologiae studium notionibus distinctionem, enunciationibus intelligentiam, et argumentationibus subtilitatem adferre, ideoque omnes philosophi occupationes adiuuare mihi videtur. Nihil ad recte philosophandum magis necessarium est, quam illud animi acumen, partim nobis datum, partim exercitatione parandum, quo notionum diuersitatem facile sentimus atque intelligimus. Quamquam enim subtilis distinctio per se nec probanda mihi videatur nec improbanda, quippe quae pro causae diuersitate et vitiosa et laudabilis esse possit: tamen sine distinguendi subtilitate recte sentire et philosophari saepe non possumus. Ad hoc acumen autem inprimis philologia nos adducit. Qui enim in ea perite et accurate versantur, *historiam significationum* inuestigantes, quid aetatibus singulis singulae voces significauerint, eruunt ac docent. Hoc negotium autem, quod leue videtur et parum attendendum, non solum graue est, quum historiam culturae et illustrationis mentis humanae quodammodo contineat, sed animum etiam ad philosophandum egregie praeparat. Nam

B 3

5) GARVIVS ad Ciceron. de Offic. *schiede sind Unterschiede der Griechisch-pag. 2. die Begriffe sind Begriffe der Griechischen Philosophie; die Unver-* *schen Sprache etc. cf. in primis, p. 3.*



quum significationes vnius voculae aliquam habere soleant similitudinem et cognationem inter se, vt expositio ista sine subtili distinctione fieri non possit: quis negabit, animum, distinguendo inter similia, quae facile confundi possunt, in distinguendo exerceri. Haec autem tam necessaria distinguendi solertia adiuuatur etiam *variarum linguarum comparatione*. Quemadmodum enim sensuum hominibus datorum diuersitas efficit, vt res varia ex parte considerare possimus, et quae in vna re coniuncta sunt, distincte percipiamus, velut visu colorem, tactu soliditatem, olfactu odorem: ita linguarum diuersitas efficit, vt notiones varia ex parte considerentur et distinguantur. Constat enim inter omnes, diuersarum linguarum voculas, formulas et construendi rationes, licet ex parte conueniant, et in vertendo adhibendae sint, multas tamen non omni ex parte eandem habere vim, nec significatione sibi plane respondere; partim latius patet altera, partim angustioris est significatus, partim aliqua accedit notio et vis, quam altera lingua desiderat. Constat etiam, certe licet id obseruare, vocularum ambiguitatem parum a nobis sentiri, si vna lingua contenti ad aliam haud accedamus. Adhibentibus enim nobis voculam aut formulam ambiguam, pro nexu ratione ea occurrit significatio, quae accipienda est et intelligenda; sed voculam ipsam ambiguam esse, id nobis non occurrit; vtinur enim voce per se ambigua sine ambiguitate, et sine ambiguitatis sensu; atque ita nos latet, voculam pro nexu diuerso diuersa significare. Quamquam autem, si hae forniculae et voculae diuerso significatu non longo intervallo seiunctae legantur vel audiantur, in vna lingua sola, sine alius comparatione, in hanc incidere possumus ambiguitatis obseruationem: multo facilius tamen eam sentimus et obseruamus, quando diuersas linguas inter se componimus, quod vertendo fit. Testes pro huius sententiae veritate adhibere omnes possem, qui de puritate linguae Latinae scripserunt, quorum libellis non solum ad Latinum sermonem, verum etiam ad notionum distinctionem adducimur; possem ipse etiam hoc variis illustrare exemplis, nisi partim res tam aperta esset, et elegantissimorum virorum vsu comprobata, <sup>6)</sup> vt longa oratione et probatione non egeat; partim

6) Conf. Illustr. WIELAND. Operum T. IV. pg. 21. et 126.



partim huius opellae volumen tam paruum viderem, vt explicationem nonnullorum locorum Platonis hic cogerer omittere. Satis autem effectum videtur, historia significatum exponenda et variarum linguarum comparatione animos in distinguendo exerceri, atque ita ad philosophiae studium egregie praeparari. Licet autem animus in distinguendo ita etiam exerceatur, si distinctiones ab aliis propositas accipiat: tamen aliud est *discere* notionum discrimina, aliud ea *inuenire*.

Sed non solum ad inuenienda subtilia notionum discrimina valet philologiae studium, sed id etiam praestat, quod omni aetate maxime necessarium, nostra vero valde desideratum est; nimirum acuit animum, vt, quid vnaquaeque enuntiatio sibi velit, accurate cernere discat. Qui enim variarum linguarum studio vacat, ii non possunt, quin in aliam linguam etiam conuertant. Quum autem in hoc negotio singularum enunciationum potestas diligenter examinanda sit, earundemque versio varia ex parte considerari et explorari debeat, ne, quoad eius fieri potest, plura in versione dicamus, ne pauciora, ne grauius, ne leuius, ne apertius, ne obscurius, ne plura possint e versione concludi, quam ex eo, quod vertimus: facile apparet, qui hac in re progressus cum ratione fecerit, eum iam multum esse adeptum ad intelligendos philosophos. Is suae rationis et methodi probe memor, lecto quodam philosophi loco, quid dictum indicatumque sit, minime sua cogitatione, de *re* instituta, efficere et quid cogitari ab auctore *potuerit*, aut etiam *debuerit*, inquirere studebit. Scit enim, tali modo, etsi fortasse ad accuratiorem rei cognitionem, minime tamen ad sensum auctoris se esse peruenturum; sed quod vnice ad philosophum intelligendum facit, vt sermonis eius consuetudinem addiscat, superiorem et inferiorem scripturam diligenter consideret, loca parallela studiose colligat et ad interpretationem transferat; vt scopum habeat ante oculos positum; vt aduersariorum decreta bene teneat, et quorsum quaeque enuntiatio referenda sit perpendat: in eo operam suam et studium collocans, e verbis sententiam eruet, atque abiecta aliena laude hominis, qui non discat ab aliis, sed suo ipsius ingenio cuncta assequatur, propriam sibi laudem vindicabit interpretis, non quid cogitari potuerit, sed quid vere cogitatum et indicatum fuerit,



fuerit, non genium nescio quem, Oberonis turbine interpretes circumagentem consecretando, sed verba diligenter considerando, subtili solertia elicientis. Quod si sequerentur omnes, multae tollerentur multorum nostrae aetatis philosophorum querelae, male se intellectos esse dolentium; tolleretur vero etiam quaedam nonnullorum felicitas et praeslantia. Cum iis enim, qui *male* se ab aliis intelligi queruntur, tam praeclare actum est, ut non solum rem melius percipiant, quam alii, sed ut alios philosophos etiam *melius* intelligant, quam isti se intellexerint ipsi; quod quidem *melius intelligere*, non rem aliquam, sed auctorem ipsum, nec quale sit dicere hic possum, nec quale mihi videatur.

Quod autem de notionibus et enunciationibus haecenus efficere studui, id etiam de conclusionibus recte dici potest. Quamuis enim ad argumentandi solertiam animus matheos studio magis adfuesiat, quam studio linguarum: negari tamen recte non potest, etiam in hoc egregium adiumentum esse positum. Conclusiones enim fiunt vsu particularum, quarum in linguis variis varius solet esse vsus; quum autem in his explicandis peritus philologus praecipuam operam ponat, indicando, quam varia significant, quanta in iis lateat ambiguitas, quomodo pro vario nexu in alia lingua reddi possint ac debeant: fieri non potest, quin in scholis philologorum bene recteque versatus, etiam in conclusionibus melius versetur et subtilius.


Alia philologorum occupatio magis etiam iuuare videtur philosophos, eosque in combinando, reflectendo et abstrahendo, quod vocant, exercere; eam tamen nunc tantum non silentio praeterire volui, quum hoc philosophorum potius quam philologorum negotium videri possit. Solent enim colligi omnes vocularum significationes, propriae et metaphoricae, obsoletae et vsitatae, profaicae et poëticae, ut ex iis *generalis* notio abstrahendo inueniatur; cuius rei specimina tum Lexicographi recentiores dederunt, tum Exc. WALCHII Schleusingenfis acumen eruditum in programmate exhibuit, in quo de vocularum *labor* et *agmen* tali modo egit.

Sed nolo huic tractationis parti diutius inhaerere, nam non solum ea, quae attuli, sentio fuisse longiora, sed video etiam hac  
ratio-

ratione non posse effici id, quod proposui. Quamuis enim philosophus esse non possit sine coninodis, quae a philologia afferri possunt: tamen ita nondum demonstratum est, hunc usum non aliunde repeti, sed a sola philologia posse accipi; cuius rei tractationem et probationem non facile in me suscipiam. Quodsi quis fontem indicauerit, unde haec peti possent, non corruerent quidem, quae de philologiae usu disputavi, sed non esset effectum id, quod volui et promisi: philologiam philosopho esse necessariam. Quare ad alterum, quod proposui, transgressus, docebo, quod philosophi tractant, sciunt, et scire cupiunt, in quo eorum se exercet solertia, id ipsum, notiones puta, earundemque conformationem, a linguis maxime pendere.

Atque hic primo monendum est, omnium notionum *communium* seu *generalium* definitionem, (si quaeras, quam multa aut quam pauca in vna notione sint comprehendenda, quam latus aut quam angustus eius sit ambitus,) ab usu loquendi pendere, ita, vt si ab usu loquendi *omnino* recesseris, et aut plura aut pauciora vocabulo nominaueris, omne *definiendi* negotium, quippe quod tum notionis *constituentiae* occupationem comprehendat, magna ex parte ad nostrum redeat arbitrium; sin loquendi usum *eius voculae*, cuius notio in disceptationem cadit, neglexeris, certe notionum conuenientia inter se, ideoque aliarum vocularum usu continearis. Vberiore huius sententiae explicationem, et demonstrationem a ratione susceptam, alio tempore exhibebo; hic tantum breuiter moneo, ne quis in notionibus generalibus tam certa inueniat et circumscripta obiecta, quam quae conceptibus singularibus intuitione subiiciuntur; ne quis omnes eos a *vera* notionis constitutione *aberrasse* arbitretur, quos *aliter* constituisse notionem eiusque obiectum deprehenderit. Atque nunc historice, et experientia teste, comparatione nimirum Graecae, Latinae et Theotiscaae philosophiae docebo, varias philosophorum de rebus grauissimis quaesitiones, maxima ex parte a linguis pendere, et pro linguarum diuersitate esse diuersas; idque apparebit, siue vocabuli *originem* et etymologiam, siue *usum loquendi* spectemus.

Quod igitur primo ad vocabula ipsa attinet, *etymologia* seu notatio philosophorum dissertationes dirigit; non quod coecum quasi



vocabulum, termini materia, vt ad aurium delectationem, ita quoque ad philosophiam aliquid conferat; sed quod vocula propter originem et deriuationem ab ea, vnde deducitur, aliquam significatiuem trahit, quae nec in definiendo negligitur, nec in concludendo. Magnam molem congerere possem locorum, in quibus philosophi, cum veteres, tum recentiores, aut ad notationem prouocant, aut eam tacite sequuntur. Quem fugit eorum, qui non sunt ab omni veterum philosophorum lectione alieni, quanta vis etymologicarum explicationum in Platone, in primis in eius Cratylo, reperiatur; quanta earum fuerit copia apud Stoicos? Pauca liceat asserere, quo magis mea sententia eluceat. PLATO (de Legg. IV. p. 181. Bipont.) dixit: τὴν τοῦ νόου διανομὴν ἐπινομάζοντας νόμον, et omnino nemo negare potest, νόμον dictum esse ἀπὸ τοῦ νέμειν, ab effectu, quia suum cuique tribuat. Apud Graecos igitur enunciatio: legem debere *tribuere* et *distribuere*, analytica videtur et ex ipsa notione, vt dicunt, fuit; apud nos vero synthetica ea est, et aliunde probanda. Nos eiusdem rei nomen duximus a vocula *Setzen*, a *statuendo*, decernendo, qua re efficitur, vt constantiae et firmitatis notionem asserat; legem igitur constantem esse debere, et firmam, nec facile esse mutandam, apud nos analytice dicitur, et, quasi positum sit in vi legis ac notione, facilius conceditur, id quod apud Graecos aliter se habet; non quod affirmassent isti, leges saepe mutandas esse, sed quod haec constantia aliunde erat demonstranda. — Aristoteles (de Anima, III. t. 66. pag. 1427. B.) ἡ δὲ αἴφῃ τῶ ἀντῶν ἀπτεταί ἐστὶ, διὸ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο ἔχει, nos aliter, et aliunde nominauimus; non enim a *tangendo*, vt Graeci et Latini, sed siue a *palpando*, siue a *sentiendo* nomen *Gefühl* deduximus; apud Graecos igitur αἴφῃ poterat esse in corporibus sensu carentibus, quibus nemo nostrum *Gefühl* tribuet. Nos omnes sensus quodammodo reuocare possumus ad vnum istum, qui *Gefühl*, sensu latiore, dicitur, quia haec vocula *sensum* denotat; Graeci non poterant ad αἴφῃ reliquas αἰσθήσεις reuocare, nisi demonstrassent, organa omnium sensuum, ne visus quidem organo excepto, a rebus vere *tangi*. Quamuis igitur nemo sanus vnquam affirmabit, Graecos homines aliis fuisse sensibus praeditos quam nos, vt in *re ipsa* discrimen sit:

fit: tamen affirmandum est, eos hanc rem alia ratione apprehendisse, et, licet sensus iidem fuerint, aliam tamen fuisse de sensibus quaestionem. — Stoici, teste Diogene Laërtio (VII, 99.) dixerunt *συμφέρειν*, ὅτι φέρει τοιαῦτα, ὧν συμβαινόντων ὠφελόμενα, quod nos vocare possumus *zuträglich*; si quis veritat *nützlich*, non omnem vocolae vim videtur esse allecutus, nec habet, quo ὠφέλιμον distinguat. Haec fortasse arguta sunt; ad alia progredior. — Stoici *καθήκον* dicunt, quod Latine redditur *officium commune, medium*; a nostris vertitur *gemeine Pflicht*. Sed aliam esse notionem, quae aut cum GARVIO vocola *das Schickliche*, aut, (quod propius ad graecam notionem accedere videtur;) vocabulo *das Gehörige* exprimenda sit, facile nobis persuadebimus, considerantes, quam late illud *καθήκον*, propter vocis originem, pateat. Quum enim species non possit latius patere, quam genus, efficitur, vt quod officium *omnino* non sit, id minime possit ad *commune* officium referri. Iam vero DIOGENES LAERTIUS (VII, 107 sq.) ita de Stoicis: Ἐτι δὲ καθήκον φασὶν εἶναι, ὃ προαχθὲν, εὐλογὸν τε ἴσχει ἀπολογισμὸν ὄιον, τὸ ἀκόλεθον ἐν τῇ ζωῇ, ὅπερ καὶ ἐπὶ τὰ φυτὰ καὶ ζῶα διατείνει· ὁρᾶσθαι γὰρ καὶ πρὶ τούτων καθήκοντα. κατανομάσθαι δὲ οὕτως ὑπὸ πρώτου Ζήνωνος τὸ καθήκον, ἀπὸ τοῦ κατὰ τινὰς ἦκειν τῆς προσονομασίας εἰλημμένης. Graecis igitur non solum erga animalia, verum etiam erga plantas, itaque omnino erga omnia, quae *ἐμψυχα* dicuntur, (MAX. TYRIVS, p. 6. HEINS.) sunt *καθήκοντα*. Quid, quod Arrian. Comm. Epict. I. c. 7. de dialectica agens dixit: *λανθάνει τοὺς πολλοὺς περὶ καθήκοντος ὕστα*. Sed quis vnquam Latinorum affirmavit: *erga arbores et dumeta servanda esse officia*; vel quis Germanorum praecepit: *dass wir unsere Pflichten gegen die Bäume und Hecken gewissenhaft erfüllen sollen*. Breui praecidam; notio, quam nos vocabulo *Pflicht* indicamus, a Graecis non ita *separata* et formata mihi esse videtur; neque enim in lingua graeca, quoad nota mihi est, reperitur, quo *uno* vocabulo vocolam *Pflicht* omnino reddere possumus. Omnia enim aut latius patent, aut non omnem eius vim comprehendunt. — Id, quod Latini *honestum* et *turpe* vocant, a nobis non potest reddi, nisi forte vocolis *lößlich* et *häßlich*. Nam quod HEINZIVS reddidit *ehrbar* et



GARVIUS *moralisch gut*, id, nisi a nostri sermonis consuetudine recedere malimus, non potest omni ex parte probari; quis enim virum, generoso animo et forti praeditum, qui animi magni prodigus esse non dubitet, tantum vocabit *einen ehrbaren Mann*, velut dicimus *eine ehrbare Jungfer*; aut quis vnquam, vt aliquis omni ex parte *ehrbär* dici possit, hanc postulabit animi magnitudinem? Sed Latine vocatur vir honestus; et vt omnes honesti partes aliquis affectus esse diceretur, etiam hoc animi inuicti robur requirebatur. Quis, quaeso, hominem, qui in plateis nec celeriore nec tardiore pede, quam decet, incedit, qui vestitu elegante, composito et apto vitur, qui iocandi genus urbanum, ingeniosum, facetum sequitur, iam vocabit *einen moralisch guten Mann*? quis omnia ea seruanda censebit, quae Cicero de Officiis (L. I. c. 27 sqq.) disputauit, et ad honestatem retulit, vt aliquis hoc nomine dignus euadat. Aliter Latini, certe Cicero, apud quem ad honestatem omnino omnia pertinent, quae aut honorem parant et laudantur, aut parare debent, et laudanda essent. — In his tamen oculis nostra lingua latinam quodammodo assequi possumus; licet vocabula *lößlich* et *häßlich* nostro in vsu nec ita opponi soleant, nec ad philosophorum terminos pertineant; sed nos, quamuis alias linguas compilauerimus, vna vocula non possumus reddere, quod Graeci *οὐσίαν* vocant. Hoc enim vocabulum, ἀπὸ τοῦ εἶναι ductum, de eo adhibetur, cui τὸ εἶναι eximio quodam sensu tribui potest; quumque *abstracti* formam habeat, et significare videatur: *das Seyn*, quemadmodum *παρουσία*. *das Zugeweseyn*; vsu tamen effectum est, vt rem in concreto significaret; comprehendit enim *vna* cogitatione notionem subiecti, et τὸ εἶναι, et eius quidem valde ambiguus; atque indicat, nec *quid sit*, nec *quid sit*, sed *vtrumque*, *quid sit*? Si, data nugandi venia, formanda mihi esset vocula, quae, vsu trita, aliquando *οὐσίαν* referre posset, dicerem aut *Seyling*, aut *Seyniß*, aut *Seyung*; neque enim *essentia* hanc vim satis assequitur; quamuis enim haec vocula plurimum habeat similitudinis, vt *οὐσία* passim ita reddi possit, velut apud MAX. TYR. (pag. I.) καὶ γὰρ ἦν ἐν ταῦτα τὸ μὲν ὄνομα δῆλον, ἢ δὲ οὐσία ἀφανής, ἢ δὲ δύναμις ἀμφισβητήσιμος: ad alium tamen vsum translata est, ita vt de essentia *οὐσίας* recte quaera-

quaeratur, *ὄντῃα ὄντῃας* vero inepte dicatur. Neque vocabulum *Wesen* satis accommodatum. Habet quidem eandem originem; sed notio τοῦ εἶναι non ita apparet, et quod de essentia dixi, valet etiam de hac, nos dicimus: *das Feuer hat ein Wesen*, atque: *es ist ein Wesen*. Graece dici potest πῦρ ἐστὶ ὄντῃα, sed utrum dicatur: πῦρ ἔχει ὄντῃαν, nunc non liquet. Nec denique *substantia*. Haec enim vocula, licet *ὄντῃας* loco adhiberi soleat, aliam tamen affert cogitationem; subiecti nimirum realis, quod substat, cui reliqua adhaereant vel insint. Atque haec notatio in causa fuit, cur omnis *περὶ ὄντῃας* quaestio valde immutaretur. Hinc ea, quae LOCKIUS disputavit, de Intellectu humano. (Lib. II. c. 23.) Hinc ad corporis et solidi cogitationem nos ducit, quare etiam TIEDEMANNUS (*Geist der spec. Philos.* T. II. p. 229. cf. T. III. p. 306.) affirmavit, *daß die Substanz Gegenstand der Empfindung seyn müsse*; cf. WERNERUS (in Aetiologia p. 21.) Hinc ex multo inde tempore decretorum Aristotelicorum perturbatio. CLERICUS (in Opp. Phil. T. I. p. 27.) „Aristoteli — eiusque discipulis visum est, omnia entia referre ad decem classes, quarum una est *substantiae*, reliquae *accidentium*.“ Ita non est visum Aristoteli, sed recentioribus ita visum, si Crusium exceperis, Aristoteli hac in re similem. Recentiores enim *Substantiam* atque *Accidentia* tanquam correlata adhibent, et *Substantiae Accidentia* opponunt; aliter Aristoteles. Hic enim non *ὄντῃαν* et *κατὰ συμβεβηκός* opposuit, sed *κατὰ αὐτὸ (λεγόμενον)* et *κατὰ συμβ.*, ad prius genus pertinent omnes decem categoriae; quare *ὄντῃα* tantum decima est pars τοῦ ὄντος τοῦ κατὰ αὐτὸ λεγομένου. Nostri philosophi *substantiam* ponunt sub relatione, *existentiam* sub modalitate, quae duo apud Graecos, quum in *una ὄντῃας* cogitatione essent coniuncta, non poterant diversa in sede collocari. — Non persequar longius alia exempla: *φαντασία* et *Vorstellung*; *πνεῦμα* et *Geist*; *πότερον αἱ αἰδήσεις κίνησι*, quod affirmari potest, *ob die Sinne urtheilen*, quod negatur; ipsa *philosophiae* notio huc pertinet, quae, quamvis ad *disciplinarum* genus olim iam esset relata, (cf. ARISTOT. *Mét.* II. c. I.) postea tamen, propter etymologiam voculae, rursus ad *studiorum* genus reiecta est. (vid. CICERO de Off. II, 2. SENECA Epist. 89. al. 90.) Atque haec satis docere



arbitror, notionum conformationes, earundemque definitiones et tractationes, a philosophis propositas ab etymologia pendere. Itaque, simulac vocabuli in aliam linguam translati et ciuitate quasi donati origo non amplius animo obuersatur, fit, vt notionis etiam consequatur immutatio. Duo exempla adiciam. De *categoriais* dixit Aristoteles, dicunt etiam nostri philosophi; nec defuerunt, qui ARISTOTELEM cum KANTIO ita componerent, vt potius huius vocabula deridere, quam istius dogmata exponere videantur. Hoc quale sit, ita, opinor, apparebit; *κατηγορεῖσθαι* apud Dialecticos Graecos est *dici*; *κατηγορέμενον κατὰ τινος*, id, quod de aliquo dicitur; *κατηγορία*, omnino *quod dicitur*, deinde *praedicatum*. Quidquid autem ore profertur aut connexum est et copulatum (vt: homo currit,) aut non copulatum et nexum (velut homo, currere, currit etc.) Iam ea, quae sine nexu dicuntur, eorumque significata, ad varias classes referri possunt, et ad X classes relata reperiuntur in Aristotele: τὸ ἄνευ συμπλοκῆς λεγόμενον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει, ἢ ποσὸν, ἢ ποιὸν, ἢ πρὸς τι, ἢ ποῦ; ἢ ποτέ; ἢ κείσθαι, ἢ ἔχειν, ἢ ποιεῖν, ἢ πάσχειν; atque haec decem genera eorum, quae uoculis, sine nexu adhibitis, indicantur, vocauit *κατηγορίας*, γένη κατηγοριῶν, (Top. I. c. 7.) σχήματα τῆς κατηγορίας (Met. VII, 9.) κατηγορημάτων (Met. VII. c. 1. Phys. III. c. 1. t. 4.) πρώτα (Met. VII, 9.) τὰς τοῦ ὄντος κατηγορίας (Phys. III. c. 1. t. 3. cf. t. 5.) τὰ γένη τῶν ὄντων (Phys. III. c. 1.) et uoculae ἐστὶ tot dixit esse significationes, quot sint *κατηγορίαι*. (Met. V. c. 7.) Voluit igitur Stagiritas, quidquid sine complexione dicatur et significetur, subiectum esse *uni* horum generum, vt significetur *aut οὐσία, aut ποσὸν, aut ποιὸν* etc. Haec ab ARISTOTELE ita esse accepta et intellecta, collectione eorum locorum, in quibus categoriarum fit mentio, demonstrarem, nisi singularis eius de categoriis tractatus vel solus hoc manifesto doceret *interpretem*. Quid critici philosophi? Categoriae iis non sunt genera eorum, quae ἄνευ συμπλοκῆς dicuntur, (ita enim deberent tempus et spatium ad eas referre;) sed eas habent pro notionibus ex intellectus functione oriundis et ortis; singulae res, intelligentia comprehensae, non *uni tantum* categoriae subiectae sunt, vt, quidquid dicatur *aut quantum signi-*



significet, aut quale etc. sed secundum quatuor categoriarum momenta determinatum dicitur omne id, quod intellectu cogitatur, ita ut et quantitas et qualitas et relatio et modalitas debeat vniuscuiusque rei considerari. Quid singula persequar? Critici, sic dicti, *duodecim* habent, ARISTOTELES *decem*; quae ARISTOTELES in categoriarum numero posuit, eorum nonnulla (sc. quantitas, qualitas et relatio) a Kantianis tanquam *momenta* categoriarum cogitantur, habentque tres categorias subiectas. *Quantitas* a recentioribus ad *intelligibilia* transfertur, ARISTOTELES de *quanto* dixit *mathematico*, spatium et tempus comprehendente, ita, ut quaestio de quantitate conceptuum et cogitationum inepta videri debuisset ARISTOTELI. Dixit ARISTOTELES consulto: ποσὸν, ποιὸν, πῶ, ποτὲ; non ποσότης, ποιότης, τόπος, χρόνος, nam, forma nominis mutata, notio alio respectu consideratur, et ad aliud *diectorum et indicatorum* genus est referenda; neque vero apud Aristotelem de abstractis, de quantitate, qualitate, sermo erat, sed de concretorum generibus. Quid multa? longo intervallo distant omnia, quae non dislarent, si nominis proprietas iis, qui de categoriis disputarunt, semper fuisset ante oculos posita. Potuissem hic Aristotelem pariter ab iniqua reprehensione vindicare, atque ab aliena laude liberare; sed ad alterum sententiae meae confirmandae argumentum transgredior. — *Logica* apud Stoicos rhetoricam et dialecticam comprehendebat; dialectica vero bipartita de *cogitatis* (περὶ λεπτῶν) exponebat, quae fere nostra est logica, et de *vocibus*, (περὶ φωνῆς) quae disputatio apud nos ad grammaticam refertur. „Quis negabit, a vera logices notione eos aberrasse, multa eos immiscuisse, atque adeo partes constituisse, quae ad logicam prorsus non pertineant, et e diversissimo sint petita disciplinarum genere?“ Immo vero putauerim, neminem esse, qui tam imperite de Stoicis sentiat, et confusionis eos accusans, suae confusionis documenta exhibeat. Nulla hic est confusio; distincta potius sunt; sed alius est vocis usus, alia notionum conformatio; et quo iure Stoicum reprehenderemus, quod aliena immiscuerit, eodem Stoicus nos potest reprehendere, quod omiserimus necessaria, et huc pertinentia: λογική est τέχνη λόγων, disputat et exponit περὶ λόγων, ad has autem dissertationes



tiones rhetorica et grammatica praecepta etiam pertinebant, quia vocabulum *λόγος* tam late patebat. Sed voculae huius proprietates in alia lingua evanuit, quare apud nos ab omni philosophia remotus esse, et disciplinarum confusionem moliri videretur, qui tantum logicas ambitum ex antiquitate velit reuocare.

De etymologia haecenus; restat, ut doceam, pro diuersitate *usus loquendi* diuersas esse philosophorum quaestiones; sed hanc dissertationis partem alia occasione exhibebo; atque vel sine ea intelligitur, quod proposui, philologiam philosopho esse necessariam.

Quae quum ita sint, sapienter mihi videtur a maioribus nostris institutum, ut, qui philosophiae Doctoris dignitate ornantur, simul liberalium artium Magistri creentur. Videtur autem hoc instituto significari, neminem Philosophiae Doctoris honore dignum, qui in liberalibus artibus non sit versatus, nec liberalium artium summam sine philosophia posse attingi. Quum autem Amplissimi Philosophorum Ordinis tantus extiterit erga me fauor, ut DECANI et COMITIS PALATINI CAESAREI dignitate me ornaret: eos omnes, qui memores dicti CICERONIS: *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur*, sapientiae et linguarum et reliquarum artium liberalium studio felici successu adhuc dediti fuerunt, humanissime hac proluione inuitati, ut nomina sua ante diem XVII. Octobris a. c. apud me profiteantur, eruditionis documenta exhibeant, atque publico ornamento non solum honoris praemia capiant haud contemnenda, sed etiam ad maiores progressus in his studiis faciendos incitentur, ita, ut quae disciplina et scientia eos ornauit, eadem ab ipsis ornamenta capiat et incrementa. P. P. in Academia Vitebergensi, Dom. Exaudi, 1610cccxviii.

cf 4264.8<sup>r</sup>

ULB Halle

3

002 160 943




sb

v. 18

n. C.





B.I.G.

Farbkarte #13

4  
5

OLEMNIA

E VTRIVSQUE LAVREAE

CTOBRIS cl̄l̄ccc̄xc̄viii.

IAE ET ARTIS POE-  
CANDIDATIS

INDIXIT

IDERICVS GVILIELMVS  
VDOLPH

MAG. FACVLT. PHILOSOPHORVM ADIVNCTVS  
E BIBLIOTHECARIVS, H. T. ORDINIS PHILOS.  
ENSI DECANVS, ET COMES PALATINVS  
CAESAREVS.

VLLA PRAEFATVS  
PHILOSOPHO NECESSARIA.

TEBERGAE,  
TZSCHIEDRICHII.

